



Universitätsbibliothek Paderborn

Unius Necessarii pars ...

Ubi agitur De Effectibus - qui primi, ac per sese ex notitia Dei consequuntur: De Æstimatione nimirum, in qua habendum, deque ardore, quo amandum est illud incomparabile objectum

Rogacci, Benedetto

Pragae, 1721

Cap. XXIV. Respondetur illis, qui dicunt, non desiderari à se mortem, vel quòd pœnas post illiam à piis quoque animabus solvendas formident; vel quòd in præsens ad eam satis parati non sint; vel ut ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54508](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54508)

quò nimirum charitatis divinæ ignis, nostro jam in corde excitatus, a motis, quæ retardare illum possent, obstaculis ad summum suum bonum, & unicam quietis suæ metam per flagrantissima vota continenter assurgat.

2. Parvam igitur, imò nullam id efficiendi vim habere debet pœnarum in piaculari carcere post mortem luendarum timor, esto has in totum evadere paucissimis contingat. Tum quia, qui nihil impensius Deo amat, nullum in pœnali illo ergastulo horribiorem cruciatum agnoscit, quàm privationem visionis divinæ, qui cruciatus tantò prolixiori tempore sustinendus illi est, quantò præsentem vitam longiùs producit: tum quia hominis stolidè meticulosi est, mali alicujus necessariò subeundi moram quærere, ubi toto hujus tempore malum aliud dilato non levius pati cogatur. Ut si quis exempli gratiâ ab intolerandis, & continuis calculi doloribus ad sustinendam quasi malum levius chirurgicam sectionem compulsus, hanc postmodum doloris in ea experiendi metu prorogare indies pergeret: inconsultè ille quidem omnium iudicio; utpote qui sectionis dolorem procrastinando haud evitat, sed, quem hodie subisset, cras eundem, vel perendie cogetur subire, abf.

absque ullo alio timidæ procrastinationis suæ lucro, nisi quòd toto illius tempore interiores morbi laniatus sibi produxerit. Cujus ve-
cordiam procul dubio imitatur, quisquis posthumos lustralium flammaram cruciatus ità exhorrescit, ut mori propterea tardius velit: non advertens, si flammæ illæ cruciandi vim hodie habent, non minorem futuro quovis die, & anno habituras, neque aliud se illarum morâ lucrari, nisi ut toto hujus tempore cælesti felicitate, & gloria careat: bono incomparabiliter majori, & magis optando, quàm mala, & perhorrescenda sit quævis pœna sensibilis. *Si nunquam bene: si autem aliquando, cur non modò?* ajebat de morte sacer ille Præsul, jure à D. Augustino in sua hac sententia laudatus. (*Severan. Mort. Pret. August.*)

3. Quod si fortè aliquis reponat, optari à se longius vivendi spatium, ut divinæ interim justitiæ pro admittis criminibus fatiis faciat, nullasque habeat in piaculari igne pro iis pœnas luendas; percontor ex hoc, undenam certus sit, vetera potius se nomina eo temporis spatio piis operibus expuncturum, quàm nova rursus peccando iis adjecturum? Certè vel *justus*, teste Spiritu sancto, (*Prov. 24.*) *septies cadet*: &, si verè D. Augustinus scripsit, (*De*
U u 5 Civ.

Civ. L. 21. c. 14.) Totam hominis vitam tentationem esse; verè itèd dicendus erit scripsisse Guigo Carthusianus, (cap. 5.) Longam tentationem petere, qui longam vitam petit: neque mihi aliud jam supererit, quàm cum D. Bernardo concludere: *Cur ergo tantopere vitam istam desideramus, in qua, quantò ampliùs vivimus, tantò plùs peccamus? Quantò est vita longior, tantò culpa numerosior.* (Med. c. 2.) Si tamen adhuc persuasum habet, longiùs vivendo, plenam se DEO satisfactionem pro quibusque exhibiturum culpis; moneo illum saltèm, ut destinatæ huic satisfactioni certum aliquod, putà tot mensium, vel unius anni tempus constituat: incipiàtque jam nunc protinus vivere instar hominis, nihil aliud in omni vitæ actu spectantis, nisi ut è mortali hac ad immortalem vitam usquequaque expiatus, atque integer commigret: minimas etiam culpas, quoad ejus fieri potest, declinans, connitensque, quidquid satisfactionis DEO debet, orationibus, eleemosynis, voluntariis afflictationibus corporis, atque aliis piis operibus quàm primùm persolvere: & pro certissimo habens, sollicitum, strenuùmque hominem plus intrà unum mensem, quàm ignavum, ac desidem pluribus annis efficere. Quam in rem non par-

parvo illi usui erit, si crebrò, & ardentèr instaret desideria perveniendi quàm primùm ad claram DEI in cælo visionem. Hæc siquidem torpere illum interim non sinent, sed quasi calcar lateri infixum continenter urgebunt, ut properet, quàm perfectissima culparum omnium purgatione ei fini assequendo sese habilem fingere. Paucis: posthuma purgantium flammaram pœna non diuturnitate, sed sanctitate vivendi evitatur, quique eam timent, non ad illam optandam, sed ad quærendam hanc debet suo metu incitare.

4. Progrediendo jam ad illorum rationem, qui ægre ferrent in præsens mori, eò quòd minùs bene, atque idoneè comparatos ad rem tanti momenti se agnoscant; dico primùm, adductam hanc ab iis causam indignam prorsus esse homine spirituali, & vero DEI famulo: qui nimirum, veluti scit, se in terris viventem procul à cælesti suo Domino agere; ità diu debet, noctùque excubare, lumbos præcinctus, & *similis homini expectanti Dominum suum*, ut, quacunque horâ hic venerit, & *pulsaverit januam*, (nulla quippe est, qua non possit illius adventus contingere) *confestim aperiat ei*. Qualis fuit pius ille Cœnobita, qui à Medico monitus, ut se ad imminentem è
vi-

vita discessum pararet; ex quo, inquit, religiosæ vitæ nomen dedi, nihil egi aliud, quàm ut me ad illum pararem. (*Ap. Rodr. p. I. tr. 8. c. 19.*) Et qualis itè alter, cui cum suis Præses dixisset, frater, actum de vita tua est: age, peccatorum confessionem tanquam moriturus institue; ad cælum extulit manus, subjiciens, DEO laudes sint: à triginta eoque plus annis confessionem quotidie ante rem divinam, quasi eâ peractâ illico moriturus obiit. Quare non alia re opus nunc habeo, nisi ut eandem consueto more obeam, quasi essem rem divinam facturus. (*Ib. tr. 2. c. 5.*)

5. Deinde, quænam, amabò, hæc tandem præparatio est, quam vobis deesse causamini, & cujus adhibendæ gratiâ longiorem vitam optatis? Non arbitror sanè, reditum in amicitiam DEI illam esse. Cum sanctiorem vitam professi vel nunquam carere amicitia DEI soleant; vel si fortè per culpam lethalem eâ exciderint, nihil morentur, amissam recuperare: tanquam bonum ità necessarium, ut ejus privatio nè ad punctum quidem temporis ferenda in animo sit, & adeò paratu facile, ut non longiori, quàm unius momenti spatium acquiri à volentibus queat. Illud itaque responsuros potius existimo: desiderari nempe

pe aliquod ante mortem temporis spatium ,
quo à præsentium occupationum impedi-
mentis liberi majori cum quiete animi divinæ
consuetudini, rerum æternarum meditationi,
aliisque pietatis officiis vacare possitis : & vi-
tâ ad hunc modum uno, alterove anno non ni-
si inter sanctas, & cælestes curas traductâ pa-
ratioribus ad æternitatem migrare. Sed enim
verò compertum vobis esse deberet occupa-
tiones externas, quamvis nonnihil naturâ suâ
mentem impediunt, & à quietiori rerum cæ-
lestium contemplatione avocent; si tamen vel
ad hominis statum, & munus necessario per-
tineant, vel ex obedientia, aut prudenti cha-
ritate suscipiantur; nequaquam interioris vi-
tæ studiis, animique puritati, & affectuum
moderationi impedimento esse, ut nulla ho-
mini, nisi post impetratam ab iis missionem
ad sanctè, hilaritèrque moriendum idonea
præparatio esse possit. Quod unum igitur
possum vobis concedere, hoc est, ut jam nunc
protinus non expectato præsentium occupa-
tionum sine certum aliquod definiatis, unius
putà anni, vel nonnullorum mensium tem-
pus, quo comparaturi vos meliùs ad mortem
studeatis, non penitèr vel plus æquo in exter-
nas functiones mentem effundere, sed cum
ne-

necessaria earum cura assiduam, quantum fieri potest, DEI præsentis memoriam, attentionemque ad vestrum spirituales profectum conjungere: optantes interea, ut elapso hoc tempore, nè adesse ulterius cunctetur felix hora vestri ad immortalitatem discessus. Nam non illico aggredi destinatam ad obitum præparationem, sed incertum aliud tempus, & ab externis occupationibus vacuum inchoandæ illius gratiâ opperiri; vel post certum tempus illi assignatum, jamque elapsum eo adhuc contentum non esse, sed novos præterea exactiores paratus, & novas longiores moras exposcere hominis sese ultrò fallentis res esset. Esset quidem primò ex prædictis duobus modis agere. Viventibus quippe, ut vos vivitis, in hominum medio nunquam possunt occupationes deesse: sed imposito, imò etiam nondum imposito præsentibus sine, aliæ, & aliæ, & forsitam inquietiores succedent. Atque ità tempus semper opperientes, quo commodius, & liberiùs ad supremum iter vos parare possitis, nunquam inciperetis vos ad illud parare. Sed & se ipsum falleret, qui alteram agendi viam sectaretur, ità ut nullo ad mortem sui paratu contentus esset, neque obire illam vellet, nisi posteaquam vita ante ip-

ipsam traducta ei penitus satis fecisset. Quantumcunque enim sanctè hanc traduxerit, multas tamen in ea labes, atque culpas inveniet, quæ occasionem sibi præbeant, eam minus probandi, censendique alia temporis prorogatione opus sibi esse ad sese diligentius, & prout decet, parandum. Certè sancti illi homines, quos quàm primùm moriendi cupientissimos fuisse accepimus, nequaquam se ipsis, suæque ad eum diem vivendi ratione contenti erant: neque verò mortem flagrantibus adeò votis in singulas horas accersivissent, si nemini expetendam arbitrati essent, nisi qui perfectè vivendo se ad eam prius comparasset. Imò ob hoc ipsum, quòd sibi videbantur nimis pravè, ac negligentè vivere; gestiebant quantocyùs è vita adeò imperfecta, & mendosa discedere. Quapropter, qui semper vellet diutius vivere, eò quòd nullo adhuc tempore vitam omnino sanctam, quasi necessariam ad sanctè moriendum præparationem duxerit; causas vitam expetendi inde sumit, unde illum incitari potius ad mortem efflagitandam par esset. Cùm, quantò minus in terris perfectam totius animæ cum DEO conjunctionem se assequi videt, tantò ardentius suspirare felicem illam horam deberet, quæ

quæ ipsum à nexibus corporis, & terrenarum rerum impedimentis liberum cum suo æterno principio, ac beatissimo fine penitus junget. Concludamus itaque, necessariam ad feliciter moriendum præparationem non alibi, quam in præfenti animæ cum DEO amicitia esse positam, conditione nimirum sanctioris vitæ professoribus haud solitâ abesse. Quòd si aliquis communi huic, & necessario paratui alium quoque exactiorem, & sanctorum hominum proprium cupit adjungere; næ ille sibi optimè consulit: dummodo id confestim exequi aggrediatur, & confestim simul mortem desiderare incipiat: certò sibi persuadens hoc ipsum ejus desiderium optimum esse ad eam se parandi modum: juxta D. Augustini sententiam, quam præcedenti capite attuli, neque abs re puto hinc repetere: *Frustrà dicunt quidam, se mori nolle, ut proficiant: cum ipse profectus eorum in eo sit, ut mori velint. Proinde, quod nolunt, ut perfecti sint, velint, & perfecti sunt.*

6. Respondendum tertiis jam est, iis videlicet, qui cum opus aliquod præ manibus habent, unde non parvam DEO gloriam, & proximis utilitatem extitutam sperant; pro-rogari sibi vitam vellent, quoad illud perfe-
ce.

cerint : parati tunc cum sancto Simeone dicere : *Nunc dimittis servum tuum Domine secundum verbum tuum in pace.* Quia in re videntur sibi nedum nullam ex Christianæ Ethicæ legibus præterire ; verum etiam pereximium amoris erga DEUM specimen dare : cum divinæ illius gloriæ incrementa bonorum suorum maximo, æternæ nimirum beatitudini præferant. His igitur primùm respondeo , proprium esse hominum , qui Christiana humilitate , & sui cognitione imbuti altiùs sunt , non ità se publicæ rei necessarios credere , ut si quid in commune bonum præstare seu lingua , seu calamo , seu industria , & authoritate possunt ; nequeat illud idem à pluribus aliis , & quidem cumulatiùs præstari : nec verò contingere , ut nimia nostri æstimatio , innatúsque nostrarum destinationum amor repræsentet nobis , quæ meditatur , vel aggressi sumus opera , tanquam res maximi ad publicam utilitatem momenti : quorum tamen fructus ab alio , ea sincerius , & citra amoris proprii præjudicium spectante valde incertus , tenuis que censebitur , nec talis , qui pluribus aliis modis suppleri , & compensari nequeat.

7. Addo novæ responsionis locò , non debere eũ , qui Deum amat , id tantum intueri ,
 X x quod

quod pro illius gloria se effecturum sperat; sed ea etiam, quæ solet quotidie contra eisdem gloriam patrare. Si enim prima consideratio incitamento illi est ad longiorem vitam optandam; non minùs illi altera citæ mortis cupiendæ incitamentum præbebit. Ceu multis revera illud præbuit DEI insignibus famulis: qui reputantes animo, quidquid in obsequium cælestis Domini agerent, instar nihili esse præ tot culpis, & defectibus, unde illi offensionis materiam assiduè suppeditabant; irati adversùs se ipsos, & hanc præsentis conditionis pravitatem coram illo exclamabant: *Domine, si sic vivitur, & in talibus vita spiritus mei, corripies me, & vivificabis me.* Et quod vitæ genus, Domine, hoc est vitiis undique, & actibus tibi exosis refertum? Ah illam, miseratus, præcide! vitâ quippe defungi, in qua te summum bonum, & unicum nostrorum cordium amorem toties offendimus, haud mori nobis erit, sed meliùs renasci. Quos inter peculiari memoria dignus videtur Marcellinus Albergottus, nostræ Societatis Sacerdos: utpote qui indè etiam motus maximè est, ut pestifera lue infectis deservire, adamato veriùs, quàm contempto sui capitis periculo expeteret: occasionem nempe hinc habiturus

ac-

accelerandæ sibi non modò absque culpa, verum etiam cum laude, & merito mortis: quemadmodum hæc illius facultatem à suo Præsidente per literas flagitantis verba declarant: *Quantum ad commodum inde meum videor posse dicere cum S. Ignatio Martyre: Ego scio, quid mihi expediat. Nescio, an quidquam sapius desideraverim in omni vita, quam mori, nè DEUM amplius offendam. Ignis, crux, bestia veniant, & quidquid tormentorum est in hoc mundo, & altero, ut fiam impeccabilis. Mi pater amantissime! quantum boni præstare mihi potes unica voce: ita! DEUS inspiret P.V. quod inspiravit mihi. Si spiritus, & sponsa dicunt: veni, & qui audit, dicat, veni, Amen. (Tanner. in Soc. Eur. El. 130.)*

8. Præterea, qui divinæ gloriæ amplificandæ studio prorogari sibi vitam desiderat, reminisci deberet, in eo positam esse DEI gloriam, ut sui illum famuli cognoscant, veneratione, atque ament: ideòque, cum fieri nequeat, ut tam perfectè DEUM cognoscamus, veneremur, atque amemus in præsentia vita mortali, & terrena, quàm in altera æterna, & cælesti; neque itè m fieri posse, ut in terris viventes quibuscunque nostris operibus tantum illi tribuamus gloriæ, quantum tribuimus eum palàm in cælo videntes. *Quocir-*

ca tantum abest divinæ gloriæ studium à sup-
 peditanda nobis causa longioris moræ in ter-
 ris poscendæ, ut incitamentum potius præbe-
 at, quàm celerrimi hinc discessus optandi :
 quò nempe ad beatissimam illam regionem
 migremus, in qua una perfectæ gloriæ vecti-
 gal supremo Regnatori persolvitur. *Placebo*
Domino, (hoc est absoluta, integræque servi-
 tute satisfaciam) inquit Propheta. (Ps. 114.)
 At ubinam? *in regione vivorum*, subjungit, hoc
 est in cælesti patria, ubi per antonomasiam,
 quia perfectissimè, & immortaliter vivitur.
 Sed erroris occasio est, quòd non advertatur
 suam à DEO gloriam in animarum nostrarum
 bono esse positam : adeò ut perfectam ipsi
 gloriam nos reddere, & perfectè beatos ex ip-
 so esse, una eadèmq; res sit. Id enim non-
 nulli minùs attendentes falsò sibi effingunt
 nostram in terris vitam statum esse DEO pro-
 priè serviendi, eundèmq; in cælo statum Deo
 merè fruendi. Cùm revera nemo perfectiùs,
 & magis propriè DEO serviat, quàm qui in
 cælesti felicitate DEO fruitur.

9. Verùm audio nonneminem subjicien-
 tem, majorem proventuram esse DEO glori-
 am, si ipse aliquot annis seriùs cælum petat ad
 eum ibi perfectè cognoscendum, atque aman-
 dum,

dum, sed simul cum altero quopiam, quem interim ad fidem, vel ad meliorem frugem converterit, quique ibi secum, & ipse per totam æternitatem DEUM perfectè cognoscat, & amet, quàm si eò citiùs solus tamen contendat: cùm instar nihili sit paucorum illa annorum gloria, quam DEUS à se citiùs moriente in cælo acciperet præ innumerabiliũ sæculorum gloria, quam ab altero per se diutiùs viventem converso ibidem accipiet: nihilque obstare, quin dilationem eligere sui ad æternam beatitudinem transitûs, procurandæ interim æternæ animarum salutis, & consequenter majoris divinæ gloriæ causâ possit: prout factum re ipsa est tum à D. Paulo, quando optabat esse anathema à Christo pro fratribus suis; (Ad Rom. 9.) tum ab aliis eximie sanctitatis viris, quos accepimus, obsequii divini, & proximorum salutis gratiâ, diuturniorem in præsentis vitæ exilio moram non recusasse. Audio, inquam, rationem hujusmodi, promptumque mihi esset, illius vim infringere, statutâ ex adverso magni Suarii doctrinâ, ubi is definit: amanti DEUM convenire, ut majorem, quæ ex suis actibus DEO proventura sit, gloriam, minori semper anteferat: at non pariter, ut majorem, quæ ab alio exhiberi Deo

possit, præ minori à se ipso eidem exhibenda eligat. Nam alioqui fas itè alicui esset, in hypothese quapiam, unde novum crimen abesset, ex majoris divinæ gloriæ studio cælesti se beatitudine abdicare in perpetuum, quò duobus, aut tribus aliis eâ potiri sui locò liceret. *Respondetur*: (en Doctoris prædicti verba) *Charitatem non magis diligere id, quod est objective major gloria, sed id, quod est quasi effective. Id est, id magis amat, quo magis glorificat DEUM ipse amans, non quicumque aliu.* (De Char. Disp. 9. Sect. I. n. 3.) Et ad citatum D. Pauli locum quod attinet, respondere sat probabiliter præeuntibus Sanctis, Ambrosio, Hieronymo, Thoma, & aliis Doctoribus, (Vide Suar lb. n. 4.) possem, non eam ibi esse Apostoli mentem, ut dicat, se in præsens optare disjunctionem à Christo pro æterna Judæorum salute; sed ut significet potius, eorum se amicitiam, & societatem, priusquam ad Orthodoxam fidem converteretur, Christi amicitia, & societate potiolem duxisse. Dicendum, (itè D. Thomas) quòd secundum unam glossæ expositionem hoc Apostolus non optabat, quando erat in statu gratiæ, sed hoc optaverat, quando erat in statu infelicitatis. Unde in hoc non est imitandus. (2. 2. qu. 27. a. 8. ad 1.)

10. Quia tamen neq; inficiari possumus, insignes quosdam DEI famulos ita animatos revera fuisse, ut optarent, *anathema esse à Christo*, beata videlicet illius visione ad aliquod tempus carere, quò æternæ aliorum salutis consulerent; & citata paulò antè Suarii doctrina videtur exceptioni esse obnoxia, ubi, ceu in casu mihi suprà objecto, gloria, quam nos collaturi DEO sumus, ab illa, quam eidem conferre alius posset, sinè ulla proportione exceditur; haud gravatè concedo, posse unumquemque ex DEI servis longiorem in terris ab eo absentiam ultro eligere, ubi speret hinc eventurum, ut illius gloriæ melius velificetur, nempe ut unam, plurèsvè animas eum mox in cælo per totam æternitatem laudaturas, & perfectè amaturas lucretur. Sed quid tandem hinc sequitur? Num non posse, qui id elegerit, cum absoluta voluntate diutius aliquantò in terris vivendi permolestum vitæ illius productioris tædium, & perquam ardens dilatæ mortis desiderium conjungere? Nequaquam profectò: veluti neque ex eo, quòd institorum aliquis præ imminentis naufragii timore ad navim suarum mercium projectione alleviandam inducitur, sequi videmus, quin cum summa voluntatis repugnantia id exequatur, inque ipso eas projiciendi

actu vehementissimum, esto inefficax, eadem retinendi votum animo foveat. Hinc exemplum licet sumas rationis, qua tu quoque in præsentis re utaris. Conservationem mercium post vitæ, & salutis curam ille habet. Anticipationem tu quoque cælestis tuæ beatitudinis, æternæ animarum salutis, & ampliori, quæ proventura indè est, divinæ gloriæ posthabeas. Sed, quemadmodum ille ad eligendum pretiosi auxilii genus, nisi prius rite explorata, & perspecta illius necessitate haud descendit, neque, posteaquam illud elegit, adhibuitque, consueto erga merces projectas amore affici desinit, sed præ illarum desiderio suspirat, easque quòd amiserit, se miserum clamitat, & nimis carò sibi stetisse naufragii evasione queritur; haud secùs & tu, nec sinè admodum probabili, & penè certa necessitate inducas animum, ut prorogari mortale exilium tuum velis; neque ubi prorogationem hujusmodi conducere ad divini honoris incrementum videris, considerare omittas beatitudinis immensitatem, qua te interim fraudat: sed tecum reputes, si inæstimabilis thesaurus DEI gloria est, inæstimabile etiam bonum visionem DEI esse: cùmque gaudio, quòd illam amplifices, mœrorem conjunge, quòd tandiu cariturus hac sis: summo opere

id-

idcirco desiderans, ut celeri exitu concludatur, quod sub manu habes negotium, liberque, & curis omnibus expeditus, proficisci quàm primùm possis, ad DEUM in cælesti sua regia perfectiori cultu honorandum. In summa, exemplo D. Pauli toleres potiùs, quàm plena voluntate eligas, in terris diutiùs morari, tanquam rem necessariam potiùs, quàm suapte meliorem naturâ. Siquidem *dissolvi, & esse cum Christo, multò melius, permanere autem in carne, necessarium.* (Ad Philipp. 1.) Et si alii patienter mortem excipiunt, tu ex numero illorum sis, quos D. Augustinus ait vitam patienter producere. (Tr. 9. in Ep. Joa.) *Sunt homines, qui cum patientia moriuntur: sunt autem quidam perfecti, qui cum patientia vivunt. Vide Apostolum patienter viventem, id est cum patientia hic non amantem vitam, sed tolerantem. Dissolvi, inquit, & esse cum Christo, magis optimum, manere autem in carne, necessarium propter vos.* Unde palàm omnibus fiat, si ex divinæ gloriæ studio perdurare in terrestri hoc exilio adhuc sustines; nihilo plùs, quàm necesse est, non aliter scilicet, quàm corporis præsentia, externaque operatione te hic perdurare: cæterùm animo, spiritu, cogitationibus, ac desideriiis in sola unicè amabili, & unicè tibi adamata cælesti patria interim vivere.

II. Qua responsione demonstratum simul jam est ad minuendum in anima DEI amante mortis desiderium, nihil prorsus neque ultimam ex commemoratis initio optandæ longioris vitæ rationibus, augendorum videlicet meritorum studium valere: rationem certè alioquin justissimam, quamvis illa impellente usque ad extremum universalis iudicii diem protelare vitam vellemus. Etenim, quantumcunque gravis jactura sit, per totum id tempus beato DEI aspectu carere; lucrum tamen eâ longè æstimabilius videtur meritorum multiplicatio, quæ quotidianis accessionibus nova, & majora cumulari interim possunt; cùm, qui hoc pacto cælesti beatitudine ad aliquod tempus caret, eadem cumulatione per totam æternitatem fruiturus sit: quod perinde est, ac bonum temporale æterno commutatum velle. Quapropter neque dici potest, qui idcirco longiorem in terris vitam desiderat, alteram justo minùs amare, quæ hac defunctis in cælo promittitur: quem admodùm dici non potest, pecuniâ minùs amare, qui eam potiùs laborat mercaturis, & fœnebris quæstu augere, quàm festinet in præsentis usus expendere; differens nunc ejus fructum, ut suo tempore ampliorem percipiat.

Ap-

Approbo itaque, ut, quisquis vult, optet hac de causa mortale suum exilium produci, dummodo, ut paulò antè dicebam, ad cælestem simul suam patriam flagrantibus votis anhelare nè omittat: crebrò secum reputans, quàm inæstimabili bono carendum sibi interim sit, neque aliud habens tam acerbæ privationis solatium, quàm convertere identidem mentis oculos ad fortunatissimum illud tempus, cum tandem perfunctus labore, suam amplificandi futuram beatitudinem, ea jam parata, & præfenti æternùm fruatur. Ità sanè dico, cum sollicita hac, anxiâque, & impatienti quodammodo patientia, tolerari ab eo debet fructuosa quidem, sed tamen durissima mortalis vitæ productio. Nam si nullo cæteroqui afficiatur illius tædio, neque violentam, & gravem sentiat, sed pergat in terris omnimoda cum animi securitate, tanquam in naturali suo fine, atque centro quietus morari; manifestò hinc licebit arguere, electam ab eo futuræ dilationem vitæ esse, non augendæ, velut jactitat, illius beatitudinis causâ, sed quia (ut sæpe evenit) nimio animi affectu præsentis vitæ bonis adhæret: neque aut DEUM, nisi valde frigidè amat; aut immensam eo fruendi felicitatem, nisi parvo admodum æstimat.

Quem-

Quemadmodum ergo Apicius quispiam, vel alius similis helluo ex ipso gulæ instinctu potest vescendi tempus differre, ut, quantò acriori cum esurie mensæ accumbet, tantò indè voluptatis plus hauriat: sed nihilominus moram illam, etsi ultro à se electam, perdifficilem, molestamque experitur, & illius finem avidè expectat, & numerat subinde horas usque ad prandium superstites, hæque ipsi solito tardiores videntur; non aliter, qui Deum super omnia amans, nec quidquam propterea enixiùs cupiens, quàm videre eum, *sicuti est*, nihilominus, ut perfectiorem illius visionem sibi mereatur, contentus est aliquantò seriùs ad eum videndum admitti; fieri profectò nequit, quin gravem, duramque illam experiatur, tametsi voluntariam dilationem, & gliscere indies sentiat tam dulcis pabuli famem. Unde ad calculos identidem revocat amaræ illius abstinentiæ dies, & quamcunque ejus horam anno longiorem putat, séque non posse ampliùs durare, ingemit, & magnam vim interdum sibi inferre opus habet, nè pristinam electionem retractet.

